



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. II. De Commissariis, seu Visitoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

Si verò fuerit novus Provincialis, utetur
iisdem recitatis Informationum capitibus:
modus verò procul dubio ab eo, quo Visi-
tator uteretur, omnino diversus esse debet:
nam cum nec ab eo Provincialis, qui offi-
cio defunctus est, corrigi debeat, nec quæ ab
eo statuta sunt, immutari possint; huc tan-
tum spectabit, ut liquidò intelligat, præ-
sertim à Consultoribus Provincialis, in
quibus is erraverit: & de iis sincerè Gene-
ralem informet; ita tamen ut antea à Pro-
vinciali, de quo agitur, accipiat rationem
eorum, quæ illi objiciuntur. *d*

d Or. c. 9 §. 3.

C A P U T II.

De Commissariis, seu Visitatoribus,

S E C T I O I.

Eorum Dotes, Electio, Cessatio.

Eorum munus.

I.



Uoniam Præpositus Generalis,
licet visitare Societatem ali-
quando possit, tamen ordina-
riè Romæ Sedem habere de-
bet; *a* dimittit subinde viros primariæ au-
toritatis, qui loco sui Provincias obeant
(unde & Visitatores appellantur) seu etiam
cum

a P. 8. c. 1. §. 7.
& H. & c. 5. §. 6.
1. & Paul. V.
pag. 310.

cum aliqua gravis causa alicubi hoc extraordinarium officium postulaverit. *b* Adhibiti præterea sunt aliquando à Generali, ad affinem operam, non autem auctoritatem, nonnulli Viri graves, qui Inspectores dicebantur. *c*

b C.1.D.91. & C.2.D.11.

c In. 10. §. 2.

2. Visitatores igitur, seu Commissarii (nam unum, idemque munus duobus hisce nominibus consuevit appellari) cum gerant officium Præpositi Generalis proprium, & ad bonam Societatis gubernationem pernecessarium; non solum quæ de Persona Provincialis initio ejus Regulæ dicuntur, ipsi sibi dicta existiment; sed etiam tales se in omnibus exhibere studeant, qualem Generalem ipsum Constitutiones describunt. *d*

Dotes

3. Eorum electio spectat ad Generalem. *e* Nec constituendi (ut sub initia Societatis moris fuit) ita ut continuum, & quasi ordinarium officium habeant, sed cum necessitas, vel utilitas magni momenti hoc officium, judicio Præpositi Generalis, requirit. Ad visitandas verò Provincias tertio, vel quarto quoque anno, vel quando Præposito Generali videbitur mittendi sunt: omnesque pro ejusdem Generalis arbitrio, eodem officio defungantur. *f*

d In. Visit. §. 1.

A quo. Et quando constituendi removendique. e P. 9. C. 3. §. 16. & 20. & Greg. XIV. p. 281.

f C.1.D.91. & C.2.D.11.

4. Præterea in Europa eorum munus expirat

Quomodo cessant ipso jure.

g C. 1. D. 91. &
C. 4. D. 3.

pirat per mortem Generalis : at extra Europam minimè; ubi nominationes eorundem sunt executioni mandandę etiam post mortem nominantis, quoadusque hujus Successor aliud statuerit. g Et si ibidem Visitator aliquis redditus sit inutilis, fiet quod supra Cap. 1. Sect. 1. §. 5. expositum est ex Decr. 40. Con. 9. Nam in Indiis ordinarium alicubi habetur munus Visitatoris; & triennio, ut reliqui Magistratus, ferè concluditur.

SECTIO II.

Jura, & obligationes Visitatoris.

*Eligere potest
Congregationem
ex alterutra
Provincia.*

I. **C**eterum licet Generali demortuo Visitatoris Officium in Europa expiret; liberum tamen ei relinquitur, aut Provinciam Congregationem adire in ea Provincia, in qua tum fuerit; aut redire ad suam: atque in utravis, tam activum, quàm passivum suffragium habebit; ita tamen, ut ad ingrediendum in alienam, quam visitavit, debeat requisitam Professionis antiquitatem habere, tum in illa, tum in sua; & ingrediatur extra numerum. Si verò ad suam Provinciam redeat; ut Congregationem ingrediatur, sufficit habere in ea Professionis antiquitatem, & intra

intra numerum ingrediatur. Quod si Vi-
 sitatoris munere adhuc fungatur, neque
 unà sit ejusdem Provinciæ Vice-Provin-
 cialis, excluditur à Congregatione Pro-
 vinciali. *b*

b C. 4. D. 3 &
 C. 6. D. 35. §. 6
 & C. 7. D. 58.
 & C. 9. D. 28.
 & For. Con.
 Pro. §. 4. & 8.

2. Visitatoris autem facultates, & obli-
 gationes, in ordine ad exercendum mu-
 nus suum, petendæ potissimum ab Instru-
 ctione, quæ circumfertur impressa; cujus
 etiam reformatio aliqua facienda commis-
 sa est P. N. *i* & quæ sequuntur fere com-
 plectitur. Commissarium, seu Visitato-
 rem alet ea Domus, vel Collegium ubi
 erit; itineris verò expensas ii facient, qui-
 bus bonum est illud iter. *l*

Instructio, &
expensa pro Vi-
sitate.
i C. 7. D. 37.
l C. 2. D. 82.

3. In literis patentibus amplissima Vi-
 sitatori facultas conceditur; nihilominus
 hæc potestas contrahenda; ita ut in foro ex-
 teriori, ordinariam Provincialium non ex-
 cedat, relicta interim in foro interiori ejus
 amplitudine. *m* Ceterum Visitator bene cal-
 leat quæcunq; ad Institutum Societatis per-
 tinent; & secum habeat literas Apostolicas
 authenticas, & Compendium facultatum. *n*
 Provinciali Superior est; cui tamen Provin-
 ciam, sicut & aliis Superioribus suas Do-
 mos gubernandas relinquat: nisi quid sibi
 reservandum, aut per se faciendum duxe-
 rit. *o* Debet tamen eorum auctoritatem

Auctoritas,
ejusque usus re-
spectu Provin-
cialis.
m In. Visit.
 §. 7.
n In. §. 9.
o In. §. 10.

tueri, & mutuam inter illos fovere caritatem. Recurrentes subditos, antequam suum Superiorem immediatum adeant, in rebus, quæ hujus personam non attingunt, ad eum remittat. Particularia item per seipsum non ordinet; Provinciali permittat, ut munere fungatur suo. Is tamen (si Visitator præfens sit in eadem Civitate) quæ alicujus momenti fuerint, executioni non mandet. Negotia præsertim gravia semper illi com-

p In §. 3. & 10. & 17. & 39. & 40. 41. 42. *p* In Visitatione autem Provincialis servet Or. Gen. 9. quæ supra relata est Cap. 1. Sect. 14. Res novas parvi momenti, vel in quibus ex mora periculum, exequi poterit, reliquas tantum Generali approbante. *q* Posset & illi committi Re-

q In. §. 9.

r P. 4. c. 17. §. 1.

s P. 5. c. 1. §. 2.

& c. 2. §. 4. 5.

& A. B. C. &

P. 9. c. 3. A.

Informatio ab eo, & ejus Consultoribus.

1 In. §. 11.

2 In. §. 11.

Visitationis methodus.

4. A Provinciali, antequam Provinciam visitandam aggrediatur, brevem totius Provinciae, & Personarum informationem accipiet. *t* Socium habebit à Generali designatum; qui & Admonitor ipsius erit; cujus opera tum in consultatione, tum etiam in rebus uti poterit, non exclusis interea Consultoribus Provincialis. *u*

5. In ratione, ordineque visitandi servabit

bit ea, quæ in Regulis Provincialis præscribuntur. * Incipiat Visitationem ab ea Domo, vel Collegio, quod ratione necessitatis, aut commoditatis videbitur præferendum: & ubi sui adventus rationem in communi omnium conventu reddiderit, literasque patentes exhibuerit, omnes ad perfectionis studium, & spiritus renovationem hortetur. y Et inter præcipuas sui muneris partes reputet in iisdem cognitionem, & amorem Instituti imprimere, & praxim inducere: nulloque modo admittatur illa opinio putantium esse secus agendum cum aliis Nationibus; viteturque spiritus ille indiscretæ caritatis, quæ omnia licere putat. z

6. Serio audiatur, atque etiam inspiciatur eorum, quos visitat, necessitates, ut ipsis subveniat. a Intelligat an formula scribendi servetur à Superioribus, & Consultoribus, b & num nominati ad Gradum, & Gubernandum aliaque huiusmodi munera, idonei sint; c & an huiusmodi nominationes, informationesque tempestivè mittantur. d Superiores verò præcipuè formentur; neque si qui aberraverint, statim deferantur, sed potius accuratiùs instituantur. e Iidemque nunquam sibi displicere præferant, quod Subditi Romam scribant. f

x In. §. 11.

y In. §. 13.

z In. §. 2. & 22. & 26.

Curanda erga
Officiales, &
scribendi Form-
ulam.

a In. §. 4.

b In. §. 6.

c In. §. 16.

d In. §. 30.

e In. §. 20. 25.

36. 37.

f In. §. 35.

H h 4

7. Hæc

Precipua Disciplina capita.

*g In. §. 18. 19.
21. 27. 28. 29.
31. 32. 33. 34.*

Executio urgenda, & Dispensationes manifestanda.

h In. §. 3. & 15.

i In. §. 14.

7. Hæc præterea sunt, quæ Visitatori potissimum commendantur. Cognoscere, & amputare malorum radices. Nationum studia, & quascumque dissensionum causas tollere. Usus spiritualium omnium exercitiorum promovere. Eidem cordi sit, Regulas, Ordinationesque in admittendis, probandis, dimittendisque Nostri exactè servari; Scholasticos in pietate, & literis institui; Concionatores, non delictos, aut vanitatum in dicendo sectatores; Confessarios benè instructos, & maturæ ætatis adhiberi: In universis Obelientiam, sui abnegationem, paupertatem, zelum animarum curari: Missiones frequenter, etiam à Confessariis stationariis haberi; Coadjutorum pietatem excoli.

8. Rationem habeat bonæ, tum apud Domesticos, tum etiam apud Externos existimationis Superiorum: & potiùs per Superiorem, quàm per seipsum, quæ ordinaverit, exequetur: quin aliqua exequi jubeat post suum discessum. *h* Discessurus Superiores moneat, si cum aliquo in aliqua re dispensaverit. Quin ipsimet Subditi, si quas facultates, aut Privilegia à Visitatoribus obtinuerint, eas rogati Provinciali indicare tenebuntur; quod si recusaverint, pro abrogatis habeantur: Eadem verò

verò sibi indicata Provinciales nequeunt,
nisi Generali admonito, revocare. l

l C. 7. D. 36.

CAPUT III.

De Superioribus localibus.



Superiores locales habentes ordi-
nariam auctoritatem in Societa-
te, alii dicuntur Prepositi, &
hi præsent Domibus Professis;
alii Rectores, qui Collegia, aut Domos
Probationum regunt. Communis tamen
de illis tractatio instituetur, eo quod in
plerisque convenient; & si quid peculiari
alterutrius classis occurrerit, in loco me-
morabitur.

*Duplex horum
classis.*

SECTIO I.

*Superiorum localium Dotes,
& Electio.*

I. **C**Urandum est, ut ille, cui Recto-
ris officium imponitur, magni sit
exempli, magnæ ædificationis, magnæ
etiam mortificationis in omnibus pravis
inclinationibus; & in Obedientia præci-
puè, ac humilitate probatus: qui donum
etiam

*Virtutes necessa-
ria Superioribus
localibus.*